

Huang TP. 4.



Hung. IV. 4.

~~C. # 8.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
II VITEBERG.
45
SIGNAT. MDIICCCXIII.


760

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Bibliothek
d. UNGARISCHEN INSTITUTS
an der Univ. Berlin

HW 1487





BREVIS ET VERA
DESCRPTIO

RERVM AB
ILLVST. AMPLISS.
ET FORTISS. MILITIAE CON-
trapatriæ suæ Reiq; Pub. Christianæ hostes
Duce ac Dn. Dn. Fön Michaelē, Mol-
daviæ Transalpinae sive Valachia
Palatino gestarum,

In eiusdem aula Tervvisana fideliter collecta
opera & studio

Baldassaris Waltheri Iun. S.


I S




99.

GORLICII Typis Johannis Rhamba.

Ung II 45


N O B I L. D O-
C T R I N A, P R V D E N T I A,
P I E T A T E, F I D E, A L I A R V M Q;
V I R T V T V M L A V D E E T M V L T O R E-
rum usu Clariss. Viris & Dn. Dn. S E B A S T I A N O
H O F F M A N in Hennersdorff & Soravv, & Dn. M.
B A R T O L E M A E O S C V L T E T O, Mathematico
celeberr. &c. Reipub. Gorlic. Coss. digniss.
Dominis ac Patronis observandis

S.

 *Vo infracti animi fervore, No-*
biles, Clariss. Prudentiss. Viri,
Patroni observandi, tot tantisq;
eviētis, divina adjutus tutela, pe-
riculis, afflictissimam VValachiam, tum Mu-
sulmannorum libidini injuriisq; impunè pro-
stitutam t,um Tatarorum subinde transeun-
tium rapinis expositam, Michael Palatinus
avitæ restituere libertati, & sacrum simul ju-
vare bellū annitatur, ex pluribus eximiorum
virorum militumq; literis percepimus, nullam

A 2 solidio-

solidiorem seriem, sæpius expetitam, vidimus.
Hanc aliorum, in heroicis invicti constantisq;
militiæ Christianæ Ducis virtutibus, cum fe-
lici divinitus concesso successu conjunctis, me-
ritam hætenus desiderantibus celebrationem,
stylo conscribendis cunctationē, cum aliis præ-
claris viris perpendens: eorum hortatu &
eximia Magnifici Ampliss. Dn. Dn. An-
dræ Taranowii, &c. plus xv. legationibus
in diversa regna adhibiti, Palatino amicissi-
mi, opera, Junio & Julio mensibus Anni
1597. brevem quendam rerum gestarum,
Valachico sermone à Dn. Cancellario con-
ceptum, atq; ab ipso Vvaiwoda, approbatum
contextum, in aula Targowisteæ obtinebam:
quem in Polonam translatus linguam, Lati-
nis verbis reddens, non tam Valachorum
quàm aliorum egregiorū militum fide dignis
exquisitis vestiebam circumstantiis: Ante ul-
teriore peregrinationem per amicos, cum
Illust. Polonorū Legato Dn. Stanislao Gol-
scio, Castellano Halicien. Capitaneo Barensi,
Patro-

Patrono observandis. isthac per Moldaviam
in patriam revertentes, in scriptis (quòd uni-
versa tyrannis Osmannica typis careat:) ex
Sultani Mehemetis III. Porta transmittē-
bam: Et excusata tenuitate eximium aliquem
tantarum virtutum factorumq; optabam scri-
ptorem: Nec nisi in meditato, & certas ob
causas necessario, ad præfatos Illustres Ma-
gnificosq; Patronos, Christo Duce, reditu, ac-
ceptis annexisq; egregiè perpetratis hætenus
facinoribus, prælo subjiciendum statuebam.
Veruntamen amicis opusculū hoc aliis itine-
rum observationibus esse absolutius, postea
animadvertentibus, & imperfectū quàm pro-
pter alias occupationes fortasse negligendum,
diutiusvè expectandum, in ipso ad parentes
transitu, efflagitantibus gratificandum ratus:
Sub Clariss. & Ampliss. P. U. tanquam di-
gniss. patronorū patrociniō typis committen-
dum duxi. Quod institutum, pro ea, qua mul-
tis ab annis Clariss. Doctiss. omnibusq; verè do-
ctis cariss. Dn. Scultete, amice colende, profe-
queris

queris me singulari humanitate sinceraq̄ be-
nevolentia, facile te amplexurum: Te quoq̄
Nobilis Ampliſſ. Dn. Sebastiane, fautor ex-
petende, ut præclara doctrina multoq̄ rerum
usu, ita candore ac in bonos omnes humanita-
te celeberrimum, ab ignoto benignè susceptu-
rum, & æqui boniq̄ consulturum, haud diffi-
do. Fieri tamen, mihiq̄ porrò favori, & tan-
tam humanitatem aliis Dominis, Patronis
atque amicis honorificè commemorandam, in
animum induci exopto, & felices, Nestoreos
annos vivere, beneq̄ valere precor. Dabam
Gorlicij ipso S. Michaelis festo, Anno Vir-
ginei partus M. D. XCIX.

Clariff. Ampliſſ. P. V.

Studiosiſſ.

Baldassar Waltherus Jun. S.

BREVIS RERVM
AB ILLVST. ET FORTISS.
*militiæ contra Reip. Christianæ hostes Duce
ac Dn. Dn. Michaele Moldaviæ Trans-
alpinae sive Valachiæ Palatino
Michaele gestarum de-
scriptio.*



ALEXANDER Walachiæ Palatinus gente Moldavus, maiorum insignibus celebris, minus erga subditos benevolè affectus, sed qualicumq; natalium claritate tumidus, fallaci blandientis fortunæ vultu admodum elatus, barbaricoq; dominatus fastu quasi ebrius, multa intolerabilia imò ad X. Povvar in auro æstimata conflaverat debita.

In ipsam præterea provinciam, plus satis iam antè afflictam, tantum Turcarum agmen, vt eam penitus occupatam sibi vsurpare, novis expilationibus & crudelitate plusquam tyrannica, ipsiq; Turcis alias minus vsitata, maximis deniq; injuriis oppressos omnino incolas afficere, nec non in domos irruere tantum bonisq; spoliare, sed & decimum quemq; puerum, sicut in quibusdam locis brutorum decimas, novo prorsus exemplo, nefariè extorquere, vxores insuper & filias, ad explendam plusquam caninam libidinem in maritorum atq; parentum conspectu impudenter comprimere, stuprare, & id genus pessima quæq; flagitia audacter perpetrare, impuneq; continuare attentarent, introduxerat: Ea q; ratione omnem pristinae libertatis recuperandæ spem subditis violenter ademerat: Nisi pro ea, quæ est humanorum casuum conditio, vt personis & Rebus pub. nonnullis circa extremâ occupatis, interdum minus provisum, minimeq; expectatum, divinitus objiciatur adminiculum & auxilium, quo citra spem cum omnium admiratione ad clariora sui floris evehantur fasti-

*Povvar
quantum pons
deris Srus
bajulat equus
lingua VVa-
lachica dici-
tur.*

tur fastigia, quam ex qualibus deturbabantur, eodem hoc plus quam exulceratissimi seculi ærumnoso tempore, ad vltima redactis VValachis, singulari miserentis Dei affulgente gratia, itidem vsu veniret. Clarebat Craiovvæ vel Crailovvæ (quæ civitas VValachia versus Vngarici & Turcici soli hodiernos limites sita, Bahni, sive præcipui officialis, magnæ VValachia parti præfecti, redivis omnib. pro annua pensione fruentis, & stabilitæ jam olim dignitatis ratione, nunc temporis ad finium illorû defensionem ducentos Cosacos VValachosq; præfidiarios plures alentis sedes est: Olim verò regnorum Vngaricæ coronæ subiectorum administratores hoc ipso nomine, à bando, quod à banderio deducitur, & idem quod Flammularis est, vocitabantur.) generosus Bahn Michaël, Petri Palatini Christiani, præfati Alexandri, antecessoris filius, vt paterna eminentia, & nataliû prærogativa, cum decenti corporis forma, iustaq; statura omnibus notissimus: Ita singulari egregiarum virtutum, erga Deum nimirum pietate, in patriam amore, erga pares æquanimitate, inferiores humanitate, in omnes deniq; iusticia, veritate, constantia, largitate, & plurium id genus aliarum studio commendatissimus: Propter sublimes præterea animi verè generosi, & ad ardua perpetranda ab ipsa natura dispositi dotes, suavem item prudentemq; sine præmeditatione, quoties opus erat, ore effluentem sermonem, bonis quibusq; carissimus. Cuius fama cum natalium, tum propriarum virtutû præstantia se exserens cum aliquoties Alexandri Palatini aures perstreperet, tanquam parato, aut nato potius æmulo, insidias struens, clam capi adduciq; eum præcipit: Quod bono favente angelo resciscens Bahn Michaël, salutiq; suæ necessariò & prudenter consulens in Vngariam se recipit, nec diu ibidem commoratus, Anno M. D. XCI. divina providentia Constantinopolim, omnib. patriæ viciniaq; Christianis clam cōgratulantibus, Palatinatus obtinendi causa proficiscitur.

Eodem pene tempore seniores & præcipui VValachia viri ad Regis sive Sultani Turcici genua devoluti, de tot tantisq; miseriis, ab Alexandro, eiusdemq; aulicis, præfidiis & mercatoribus Turcicis illatis, nec dum finem habituris vehementissimè conqueruntur, ordine turpissima & detestanda plurima largis erumpentibus lacrymis proponunt, Generosum deinde
Bahn

Bahn Michaëlem, modo præfato commendantes, verumq; hæredem affirmantes, aut patriæ suæ tanquam legitimum Dominum præfici, aut alium habitandi locum, nisi petita impetrent, assignari sibi supplices rogant. Ad quod institutum certius obtinendum avunculus vel matris frater gente Græcus, qui & ipse antea dicto Bahni officio functus erat, & commemorabili qua in Porta vel aula vigeat propter turgidiores loculos gratia, sumtibus honorariisq; haud vulgaribus proderat. Ita favente Deo, Ion Michael ab ipso Amurate II I. V Valachia sive Moldavia Transalpina Palatinis magnificis inauguratur ceremoniis: & oppressa penitusq; prostrata, imò vix ægerrimè spirans Provincia quondam florentissimæ Respub. respirare, ac paulatim non sine grandibus violentisq; auxiliis, sicut extremi requirunt casus, ad pristinae libertatis & incrementi vigorem aspirare annititur. Sub cuius gubernationis felicem auspiciationem Alexander antecessor, de impiè impudenterq; administrato amplissimo Palatinatu certoq; vitæ periculo, sine teste optimè sibi conscius, dominatu neglecto, turpiter aufugit. Temporis deinde successu Constantinopolim cum vxore migrans, variaq; attentans propter novas quasdam obtinendi Moldaviae Palatinatus machinationes, ab eiusdem Dn. Ieremiae procuratore sive agente accusatus, iussu regio in domo sua sive hospicio arreptus ibidemq; in splendidiss. vestitu laqueo elisa gula ipsa Palmarum Dominica Anni 1597. miserè periit. Turcici verò creditores certis initis cum surrogato Domino de numeranda incredibilis aris contracti summa, pactis de vitæq; tranquillitate, sicut & alia feces Turcicae assecurati, immoto pede fixi habitare pergunt.

Ion, idem est quod Christianus, quo nomine Palatinus iste propter devotionem gaudet, & ab ignavis Ioannis quasi pronomine appellatur.

Alexandri Vvai&voda mors.

Accidit paulo post vt Rever. Comelius de Nona, Canonicus Vdriensis & Romæ ad D Hieronymum de Ripeta Archidiaconus à Clemente VIII. Pontif Max. tanquam aulicus ad magnum Moscovia Principem missus, Transylvania Ducem Sigismundum, & Moldavia Palatinum Aaronem in reditu accederet, de Reipub. Christianæ procerum unanimi contra communem hostem consensu bellum suscipiendū referret, eosdemq; ratione Christianæ professionis ex istis Tyræ sive Nestri, & Danubii fluminum partibus sua adjungere auxilia gravissimis adductis rationibus & quod præter alias gentes vicinum Poloniae

B

regnum

regnum idem meditetur, persuadere conaretur: Ad ipsum verò V Valachiae Palatinum Michaëlem propter certas quasdam causas non perveniret: Quem tamen praefatus Transylvaniae Dux iisdem ferme rationibus sibi devincire, quibus ipse erat permotus, annititur. Univerſa enim dubia quae ad justam tardius affentiendi haſitationem facere videbantur, variis modis graviffimè diluuntur: augescens indies Turcarum petulantia, & in ærumnoſam V Valachorum gentem excogitata gravamina, recensentur: Singulis pene menſibus, ſive Tatarorum ſive Turcarum irruptiones aut tranſitus metuendi commemorantur: aut eorundem licet faventium captandae quietis cauſa pro libitu tam hyberna quam æſtiva caſtra neceſſariò ſufferenda, magno cõmeatu alenda, multis honorariis cumulanda ſubjungitur: V Valachiam ne priora quidem ſolvere poſſe debita, nec illatorum immanium damnorum ſentire levamen, nedum ſubſequentibus ſufficere, in mentem revocatur: Nullum antecellorum à multis retrò annis tranquillo durabiliuè uſum dominatu, ſed vel invidorum calumniis vel æmulorum muneribus apud Sultanum, ſuſpectum redditum, fuiſſe ejectum, vel violenter vita privatum oſtenditur: Prudentis eſſe abſq; graviffimis de novo emergentibus rationibus vix meliorem antecellorum fortunam ſtabilibus radiis ſibi affluſuram graviter deniq; monetur. Ut licet Palatinus, de cuius ſimul & ſubditorum honore, fama, bonis, ipſaq; vita cardo periculoſiſſimus vertebatur, non ſtatim in primis motibus omnino in hanc ſententiam iret: cum ſuae tamen gentis ſenioribus & amicis de his deliberaturũ ſe, ſeriò polliceretur. Etenim ſufficientem militum numerum, neceſſariam ſtipendiorum ſubmiſtrationem, & in omnibus paratas ſemper ſuppettias ab Auguſto Imperatore noſtro, Rudolpho II. nec non Sigifmundo Transylvaniae Duce affore, Aaronem verò ſtabilem ad quemlibet eventum ſocietatem praſtiturum, & quibus ea modis certa rataq; ſint futura, demonſtrari videbantur.

Hac ratione eos conjunctis animis, viribus & bellandi ſtudiis, circa Tyræ ſive Neſtri, & Danubii aut Iſtri flumina, cum plus quam viginti militum millibus, tum Tatarorum irrupentium latrociniis, tum immanibus Turcicarum copiarum imprefſionibus reſiſtere facile poſſe, ut ex alia Vngariae parte Imperator Chriſtianorum ſua bella minus impeditus continuare fortius,

tius, & conficere felicius orbi deniq; pacem multò desideratissi-
mam conciliare citius valeat. Talia dum sursum deorsumq;
versantur clam consilia, Turcas tamen haudquaquam latentia,
Anno 1593. Sinan Bascha proximior celeberrimo militiæ
quidem Duce, sed in faustius nostrorum auspiciis minus felice,
cum maximo exercitu recta via procedente, nec non Precopen-
sis Hordæ Principe pluribus in Taurica Chersoneso & vicini-
a collectis Tatarorum millibus per V Valachiam & deinde cir-
ca Poloniæ fines in Vngariam Christianos oppugnatum pro-
grediente, Iaurinum sive Raab Turcicæ tyrannidi non sine frau-
de subiicitur. Quo luctuosissimo casu Palatinus magis percul-
sus secundum vulgatum illud: Non minor est virtus, quàm quæ-
rere, parata tueri, de stabilienda dignitate, autoritate & domina-
tu necessariò concludens, pro generosi animi motu, & comme-
morabili in patriam amore, tot tantisq; perpetuo implicari suæ
tutelæ commissos subditos ærumnis haudquaquam magnificum
honestumvé ratus, cum convocatis senioribus & præcipuis ter-
ræ incolis de idoneo tantorum & graviorum jam jamq; irruen-
tium malorum variis propositis rationibus, remedio consulta-
vit: Vbi tum communi omnium suffragio, cum Principibus Chri-
stianis confœderationem potius ineundam, quàm intolerabile
tyrannidis sustinendum diutius jugum, conclusum est. Assum-
tis itaque duorum millium Vngarorum præfidiis, clam ad fines
hanc ob causam jam antè dispositis, Heros iste, implorata Chri-
sti Servatoris gratia: Genizaros, quorum duo plus minus millia,
nullo ad Palatinum habito respectu, sedes ibidem audacter fixe-
rant, cum cæteris Turcis improbitate consueti gaudentibus, ac
more sibi proprio deditis semper prodicione Hebræis omnibus,
præfato Anno 1593. Idibus Novembris, ad unum omnes tru-
cidat.

Nec multum interponens moræ, cæteros civitatibus ac ar-
cibus qualibuscunq; munitos visitare coërcereq; proponens,
X V. eiusdem Mensis Dziurdzovam ad Danubii ripam sitam,
Turcicoq; insolescentem imperio invadit, igni mandat, & pluri-
mis morte multatis arce munitissima interim relicta, amplis
onustus spoliis ad Palatinatus sedem Bukerestem regreditur: Ne-
que diuturnæ deditis quieti, præsumtum post talem eventum si-
bi parari bellum experitur. Etenim Iaurino ut diximus prodi-

An. 1593.

*Turcarum
VValachia
incolarum
trucidatio.*

Dziurdzovam

Emirū casus. toriè capto, Emir vnus ex ampla Mahumetis Pseudoprophetae profapia oriundus, & tum temporis Cadilefker (quorum tres solummodo Græciæ nimirum & Mysir vel Cauri in Aegypto, quasi apud nos Archiepiscopi sunt, omnibus etiam ipsius Vezi-razem summam potestatem commissam excentis dignitatibus prælati, primi Regis consiliarii, summi juris vniversi interpretes, ac in bellis supremi iudices, à Mophti, quasi primo illorum Patriarcha, secundi) Bukeresten dicto mense cum duobus selectissimorum militum millibus, quinquaginta Regis cubiculariis, Zauschis præterea, & Spahi sive nobilibus pluribus, omne genus violentiæ, rapinarum ac luxuriæ audacter perpetrantium, reficiendarum virium, vel Palatini potius capiendi gratia petit, commodas in vrbe domos occupat, à Palatino in palatio prope novum sub vrbe monasterium, sine arce murisque ad Dembovicen fluuium extructo commorante, decem Vng. flor. millia honorarii loco cum necessario comœtu & victualibus imperiosè flagitat: ac paulo post, solum eum esse certo cognoscens, mille stipatus comitibus pedester eundem quasi salutatum exit: Sub cuius suspecti admodum hospitis adventum, ille in Vngarorum suorum stipendiariorum castra non procul inde in campis fixa discedit. Callidè itaque arripiendi ipsius spe frustratus Emir, inquisitum mittit nonnullos, in quem finem tot pacis tempore fo-veat Vngaros? Et capiendi Petri, Alexandri filii Moldaviæ Palatini causâ ascitos, eodemque jam dum capto & Constantino- poli ab vncis publicè suspenso, donec stipendia illis persolven- da acquirantur, villarum comœtu necessariò sustentari, re- sponsi loco accipit: Absque mora eos, tanquam planè inutiles subditisque molestissimos dimitti præcipit, ac vnâ auri ton- nam, ad exsolvenda stipendia die proximè sequenti mutuo à se accipi iubet. Promissione hac lubrica cum gratiarum actione suscepta, continuo Vngaros omnes paratos in castris, vt aufu- gientes fortè Turcas intercipient, expectare, haudquaquam prius erumpere mandat: cum aulicis & aliis militibus in valle clam congregatis, ne somniantibus quidem talia Turcis adven- tat, diversoria cingit, & nefariis expositam prædis urbem, imbel- lis sexus ereptam violenter pudicitiam, vimque subditis illatam iustè vlturus, in quinque locis succenso igni hostes vrget, forti- terque instando & pugnando enecare nititur. Illi viriliter sese defende-

defendere, vñ perrumpere hostilem cuneum & evadere nequicquam tentare, flammaram etiam vi expulsi, reiectis ardentibus vestibus nudo corpore præliari, ad Domini sui palatium denicq̃ omnes confugere, & vltima cum ipso sufferenda proponere: Quos conatus facili negotio Palatinus, duobus explosis tormentis parietes illos reddens pervios infringit. Ideoq̃ Emir despondens jam animum, cistam magnam, auro, gemmis, aliisq̃ rebus pretiosis repletam per fenestram præcipitat, ac iram Palatini sedare attentans, vitæ suæ parci supplex orat, seq̃ cum superstitite comitatu larga solutione vitam redempturum tremebundus promittit. Palatinus tot sibi suisq̃ inflictarum injuriarum subeunte memoria, obtrusis spoliis pollicitisq̃ haudquaquam mitigatus, hostes cum istiusmodi bonis sibi jam subjacentes, ad vnum omnes perimit, vnde incredibiles thesauros quanquam igni multi perierint, milites assequuntur: Inter alios, Palatinus Cosacos, bulgas duas connexas, quas Taisiri sive turban illi vocant, aureis nummis plenas perticæq̃ appensas portantes conspicatus, proportionis ac æquitatis admonet, parteq̃ sibi reservata, dictis duobus cæterisq̃ militibus reliqua distribuit, & Deo pro concessâ victoria gratias actis, cum suis paululum quiescit.

Refectis viribus Kiral Albertum (sic eum Vngari appellant) cum exercitu X. Decemb. ad Phlocz civitatem apertam inter Vrosczuk & Nicopolim pari spacio, vnius nimirum diei itinere distantem, ex qua Turcæ plurimi, per congelatum glacie Danubium transeuntes, subditos multum afflixerant, mittit: Qui direpta deletaq̃ ea, præter nonnullos fuga sibi consulentes, incolas omnes Phlegetontis stagno destinabat. Aliam civitatem muratam Herfovam vnius diei itinere Brahillovva distantem, missis primo Ianuarii Anni 94. exercitu per congelatum tendens Danubium adoritur: Vbi in ipsa fluminis glacie acri oborta pugna, fufis pluribus, cæterisq̃ fugatis opulentam civitatem direptam, arce tamen fortiter à præfidiis Turcicis defensa, combusserunt, spoliisq̃ ad alteram tutiorem fluminis ripam deportatis, & frigore laboribusq̃ prostratis viribus aliquomodo reffectis, VI. Non. Ianuar. iterum transgressi flumen Derstor civitatem à Constantino Magno in Macedonia extructam & Silistren vocatam, vbi Sanziaci, Rumilibeglerbego parentis, sedes est, arcis tutela insolentem, amplam, mercatoribus claram,

*Phlocz.**Herfovva.**An. 1594.*

fatiscq; bellam, commemorabili evicto prius prælio, ira fervidi diruunt, & incolis plurimis cæsis Vulcani violentia in nihilum redigunt.

Murat III. duarum mundi partium Dominus, & Padi-
schach, hoc est, regum rex, Palatini Michaëlis à VValachis instar
Iunonii pueri commendati, sublimem animum, & insolentes rebelleſq; in ipſo gubernationis limine conatus, non extir-
pandorum ſaltem in commiſſa ditioſe Turcarum, ſed & præfati
Emiris multorumq; aliorum clariff. militum, ditiffimorū mer-
catorum trucidatorum, & crudelium præterea ultra Danubium
in pacificas florentefq; vrbes, oppida, rura, ſine vlla tractatio-
nis accepta conditione, irruptionū vaſtationumq; ad animum
vehementius revocans, demirans, & nullo modo ulterius, ad
grandiora regni præcavenda damna ſuſtinendos ſtatuens, imo
vtiliffima maximeq; neceſſaria, ad bella in Vngaria continuan-
da, Tranſylvaniæ & vtriuſq; VValachiæ penuaria defeciſſe, cum
ſolus Moldaviæ Tranſalpinæ Palatinus, circiter vnam auri ton-
nam, viginti ovium, duo equorum millia, tritici menſurarum
magharum decem millia, hordei tantundem, multum præterea
butyri, mellis, &c. vicini quoq; duo VVaivvoda haud minus an-
nuatim ſolviſſent, defeciſſe, ægerrimè ferens, Achmath Baſſicham
& Genizar Agam, qui Ianuæ militum pedestrium præfectus eſt,
& interdum regia dignus affinitate iudicatur, cum multorū mil-
lium exercitu, ut ei vel capto vel qualicunq; modo ſublato Bog-
danum Iankoli Moldaviæ Palatini, Leopoli Rutenorum, Ste-
phani Regis juſſu, ſicut ex Chronicis conſtat, capite truncati fi-
lium legitimis adhibitis ceremoniis potenter ſurrogarent, ma-
gnis ſumtibus ablegat. Revertebatur eodem tempore juſſus ex
Hungaria poſt Iaurini occupationem cum Hordæ ſuæ 30. mil-
libus Zahr vel Precopenſium Tatarorum Dux, cui Sultan Mu-
rat prædictos duos præfectos cum magno exercitu verſus Vro-
ſczuk ampliffimam arceq; munitam & Dziurzovæ in VVala-
chica ripa ſitæ oppoſitam ad opprimendum Palatinum miſſos
ſignificat, ipſum Tatarorum Ducem, ut ſub Diu, quæ civitas cum
arce trium dierum itinere ſuperius Vroſczuk ad VValachicam
Danubii ripam ſita eſt, flumen clam tranſeat, in ipſa VValachia
Palatinum circumveniens urgeat, ut ab utraq; parte ſimul ac ſe-
mel impetitus arreptuſq; dignis perduellione pænis ſervetur: ad-
ductus

*Annua Pala-
tinorum pen-
ſio.*

*Iankoli.
Bogdan.*

Vroſczuk.

Diu.

ductus verò Bogdanus in Palatinatus sede succedat. Cham, aliàs
 Kerai Tatar Han, nolens volens dicto obœdiendum advertit,
 transgresso flumine congelato, longè lateq; vastando, uno mil-
 liari à latere Dziurdzovvę in villa Scarpatest castra metatur, dif- *Scarpatest.*
 positiq; custodibus, aliquot Scytharū millia commeatus causa
 prædatum dimittit. Palatinus qui accuratis excubiis sibi suisq;
 rectissime dudum prospexerat, subito id intelligens præcipuos
 aulicos, virosq; fortes, cum exercitus parte intrepidè Tataro-
 rum custodiã, effusisq; passim in patriam terram turmis, divino
 confidentes auxilio occurrere jubet, Qui haud segnes XII. Ca-
 lend Februar. sub Steneſt villa, uno Dziurdzovvâ milliari ad *Steneſt.*
 latus disſita, copiosissimam Scytharum custodiam offendentes,
 & diu fortiterq; cum illis confligentes, plurimosq; sternentes,
 tum à Christianorum diversarum nationum plus minus septem
 millibus recuperatis, tum ab ipsis captivis Scythis, de Chami ca-
 stris, & grassantibus passim aliis turmis informantur, casq; sine
 mora infestant, assequuntur, plures cedunt, alios, ut ad Cha-
 mum properantes, & de excubiis cæterisq; pro commeatu mis-
 sis sociis crudeliter deletis gemebundi conquerantur, fugant.
 Michael Palatinus, in suum tergum fabam hanc cudi multò an-
 tè subolfaciens, in villa Holubeſt parato animo, & copiis paucis
 quidem instructus, at divinæ crucis protectione contra abjura-
 tum utrumq; hostem nixus, nullam occasionem prætermittere,
 omnia vigilantis Ducis more prævidere, inquirere, præcavere,
 tum demum ad Chami sive Ducis sui confugientes Tataros ca-
 stra quatrduo post die nimirum Dominica eminus subsequi,
 vix quarta milliaris parte inde cum suis sub crepusculum vesper-
 tinum subsistere, & firma fiducia more solito salvificum I E S V
 Nomen magna voce invocare. Clamorem vicini hostis, Ta-
 tari multitudinis numero confisi barbaro animo negligere, Tur-
 carum vero sex millia, quibus trecenti permisti erant Genizari *Turcarum*
 subito observare, sera nocte conscensis equis super flumen ad *fuga sicut &*
 focium agmen in Vrosczuk confugere, Cham fociorum metu *Tatarorum.*
 perturbatus, viribus suis itidem diffidere, eadem nocte subsequi,
 nimiamq; numeri sui metuens diminutionē ad Hordam festi-
 nare. Palatinus dicta diei Dominicæ nocte in deserto castro-
 rum loco sub Scarpatest tentoria figere, usq; ad subsequenter
 Martis diem expectare, summoq; manè civitatem Vrosczuk, *An. 1595.*
 VVratisla-

*Vroszluk,
Achmat
Basscha,
Genizar Aga*

*Palatinus
vincit fu-
gatq; Bog-
danum,*

V Vratislavia Silesiorum multò ampliorem, muro tamen, ut & pleræq; aliæ destitutam petere, ac sub ipsum pene aditum in exercitus instructi acie obequitando, ut fortiter pro Christi gloria, patriæq; salute præliantur, piè intrepideq; hortari. Achmat Basscha & Genizar Aga (illorum enim vocabula & titulos observare placet) cum selectorum militum quatuor, aliisque gregariorum ac civium decem plus minus millibus, Palatino opinione citius leonina fronte atq; animo cum decem millibus appropinquanti, occurrere annuntur, vixq; suburbiū egressi prælium committere compelluntur: Quod cum totam illorum continere videretur salutem, proposito de Bogdani in Palatinatu substitutione ferias interim agente, partim eximii exercitus freti potentia, partim desperati casus necessitate adacti de vita victoriaq; simul pugnandum judicant: Sanctissimi tamen nominis IESV vigore adjuti Christiani, numero quidem inferiores victoria potiuntur, hostes plurimos Acheronti consecrant, alios fugientes usq; in tenebrosam insequentem noctem sine numero trucidant: Ipsi duces præfati heroicæ Palatini experti manus vires, una cum vita amplissimis exuuntur bonis. Bogdanus verò Palatinides, investiendo Palatinatu ultrò clam renuncians, universis relictis bonis, vix cum centenis, vel ut alii constantius affirmant vicenis, passim palantibus fuga elabatur, & Constantinopoli cum matre duabusq; sororibus, Ieremiæ Mogilæ Moldaviæ Palatini eiusdemq; continuò ibi degentium negotiorum gestorum metu delitescens, & nihilominus clandestina, de occupando, non sine magno apud Turcicos Græcosq; fautores contracto are, patriæ Palatinatu agitans consilia, Anni demum 1597. Mense Octobri, Illust. Polonorum Oratorem Dn. Stanislaum Golscium, &c. adit, & ponderosam apud Veziratem Ibrahim Basscham Sultani affinem, ac summum tum temporis Governatorem intercessionem, ut mortuo aliquando Ieremiæ (quanquam fatum illius præcipitare clam laborabat) tanquam hæreditarius successor surrogetur, implorat: Qua dicti Palatini præsentium tum nunciorum, patriæ pacisq; conservandæ intuitu, contrarium apud Vezirum molientium opera, posthabita in carcerem coniectus, strangulationis vel abnegationis, cum maximo matris & aliorum Græcorum luctu optione quidem data, sed adolescente ob animi agilitatem & alia naturæ dona indices Basschæ

n. agis

magis grato, ideoq; inter intimos cubicularios, quod eiusmodi comprimis delectentur ingeniis, recepto, Basscha Masul, id est, officio, honore & dignitate privatus, interim propter dissimulatam Sultano, reginæ matris socrusq; metu, Turcarum in Vngaria cladem & id genus alia, more Osmanicæ Domui familiari in Divano sive Prætorio regio publicè declaratur. Qui rebus suis pro tempore & fato dispositis, antequam vrbe Scutarum in Asiatico Bosphori littore situm oppidum, ubi regium ferè extruxerat palatium, excederet, hunc ipsum quoq; iuvenem, ne ad affectatum Moldaviæ dominatum, à nullo Turcarum hæctenus possessum, ineptus redderetur, cum alio putatitio quoq; successore, annexa propter secutura munera, largissima promissione, diligentem se ubi ad alias dignitates rursus aspiraverit, illius habiturum rationem, placidè incolumemq; dimittit, pro ut eundem unà cum socio vel competitore in Oratoris Anglorum palatio vidimus. Moldavici verò nuncii eum cum aliis quibusdam ex remoti Basschæ Ibrahim palatio noctu in primo motu, ut fama ferebat, raptum credentes, apud novum Vezirum prece, & ut constans erat rumor, quatuor aur. Vng. millium oblato munere, vita privari diligenter instant: & ad oculum quidem voti compotes die quodam suspendi ab uncis summo mane hominem, deinde in maris vicini vel cornu ceratini potius undas projectum, obvoluteq; extractum ad commemorati adolescentis cognatos tumultandum quasi à lugenti impetratum matre vident, atq; ita acquiescunt.

Quæ verò in magna illa & populosissima civitate passim sit edita strages? quot homines neglecto sexus discrimine in primo fervore trucidati? quot exuberantibus ubiq; ignis flammis obruti? numerare nemo potuit, imò numero, si adderetur, fides derogaretur. Quæ etiam spolia, quas divitias non tantum ab ipsis exercitus ducibus, sed & opulentissimis plurimiq; loci mercatoribus & civibus acquisiverint pene singuli? inde quod ex decem militum Christianorum militibus nullus sine sericis aliisue pretiosis vestib. & copiosis conspiceretur prædis, conjicere licuerit. Arcem autem munitiorem nullo operæ pretio tum temporis adoriri statuens Palatinus, actis Deo omnipotenti pro tam præclara victoria gratiis, cum suis aulicis & amicis Bukeresten Palatinatus sedem repetit. Capitaneus Kiral Albertus, ut vulgo

C

vocatur,

*Ibrahim Basscha Masul
vel dignitate
locoq; matris.*

Kiral Albert.

Vviftova.
Orechtova.
Czirvona.
Vvoda.
Rofgradum.
Baba.
Obloczicza.
Kilia.

vocatur, cum Vngaris, Cosacis, VValachis &c. in illa Danubii re-
 lictus ripa, III. Calendas Ianuarii VVistovvam, deinde Orecho-
 vvam oppida, plurimis morte multatis, itidem in cineres redi-
 git: similiq; animi fervore alias, ut Czirvonom, VVodam, Rof-
 gradum, Babam, Oblocziczam civitates ex altera Turcarum par-
 te, nec non vicinam ijs Smihel, ad Danubii in Pontum Euxinum,
 se exonerantis ostium sitam, & quatuor à Cili vel Kilia urbe in
 Bessarabia vel antiquissimo Comitatu, Cili nuncupato, millia-
 ribus distantem, quanquam non eodem omnes tempore satis mi-
 ferè, pro ut in commemoratæ Legationis Polonicæ transitu An-
 no 1597. Mense Augusto vidimus, vastat.

Nonnemagnum illum, & fere potentissimum, sicut seipsum
 jactitat, Padischach mundivè principem terribilem q; suorum
 regnorum defensorem Amurathen, tot in pacificas omnium q;
 rerum copia affluentes ditiones, impressiones, tot q; felices ha-
 ctenus victorias, unius rebellis VVaivvodæ, & parva quidem
 militum manu stipati audacia acquisitas, sæpius execratum, in-
 frenduisse? Nonne cum lectissimis belli præfectis & consilia-
 riis, nocte die q; de tam vili, ut ab atheis appellatur, sclavo sive
 mancipio, caneq; Christiano, cuius illata ignominiosa injuria,
 maioris, atque provinciarum aliquot regnorum potentis cuius-
 dam regis bello avulsarum jactura ducenda, sive vi, sive infidiis
 capiendove trucidandove exquisitè consultasse, quilibet hæc, vix
 summa rerum vestigia delibante annotata stylo perlegens, facile
 animadvertet? Nonne magnam exercitus vim, contra tam exi-
 guarum virium hostem, adeò faustè intolerabilius Padischachi
 regumvé Regis viribus reluctantem, emittendam, & detestandi,
 imò luctuosi ominis, execrandi q; exempli autorem, justissima
 læsæ Maiestatis (si tyrannidem ita nominare licet) pœna mul-
 tandum judicabit? Qui nec Emiri sive Turcico, qualis tum erat,
 Archiepiscopo & secreto Regis Consiliario, nec nobilissimis
 fortissimis q; Ducibus atq; militibus, nec firmioribus terræ nunc
 Turcicæ arcibus populosis q; parcere norit civitatibus, nec in-
 ceptæ assuetæ q; sævitæ, finem meditetur: sed ipsam regiam Ty-
 rannicam q; sedem, cruentis & detestandis evertere armis, cele-
 berrimam ac universo orbi notissimam contaminare annihila-
 re q; gloriam, tam præcellam tot q; regnorum & provinciarum
 diadematis splendescentem, tot victoriarum triumphis radian-
 tem,

tem, in pulverem Christianissimi Imperatoris nostri auxilio de-
trudere, pedumque si posset, plantis substernere coronam non ve-
reatur. Principiis profecto omnibus modis obstandum, & ur-
ticarum messem in gramine extirpandam, proximum esse confi-
lium, si humano consilio prævisa divinæ pœnæ flagella avertere
liceat, quisque arbitrabitur. Feliciore itaque fideremagnus ille
terribilisque Orientis leo, stolidus infaustusque invicti de tribu lu-
da Leonis Christi contemtor, contra pauci quidem roboris, at
ignei vigoris gallum assurgere, denuo spem concipit: altera vice
Capidzi Basscham & Derstor olim Silistræ præfectum, cum mul-
tis Turcarum, Scytharum atque Genizarorum copiis Palatinum
adoriri, extirpare, & Stephanum (quem Anno 1597. circa fe-
stum S. Michaëlis, Illust. Poloniae Legati mensæ aliquoties Tul-
bando sive involucro capitis Turcico redimitum assidere con-
speximus, & ex propriis eiusdem hæc eadem sed brevius perce-
pimus verbis) substituere Palatinum severè præcipit. Sed &
hanc vim intentatam, suoque capiti constructum præsentiscens
malum, divina protectus clementia evadit: missoque Kiral Alber-
to exercitus præfecto XVI. Calend. Martii felix committit præ-
lium: hostes invocato affulgente auxilio vincit, fundit, fugatque,
gladio ac igni vastatam, arce neglecta solo ferme æquat. Nec
multum interponens moræ, idem præfectus, ad oppidum Tur-
tukai unius diei itinere superius Vrusczuk situm, arceque carens
se convertit, eius incolas cum plurimis pagorum agricolis Diti
transmittit, & fluminis congelati tandem imminere resolutio-
nem perpendens, ad Palatinum Bukerestæ commorantem, ac
fanè oportune, quod calidioribus obortis ventis glacies subito
liquefceret, regreditur. Cæterum munitiorum quorundam lo-
corum habitatoribus, Palatini gubernationem, antecessorum
dominatum minus durabilem nec Turcicæ potentia contra niti-
diutius sufficientem opinantibus, & dum externo in finibus oc-
currit resistitque hosti Palatinus, intestinam rebellionem molien-
tibus, Valachosque ad eandem, donec insidiis violentisve suc-
cumbat machinationibus incitantibus: proximum, quamvis
durissimum, nec fundendi sanguinis & demoliendarum arcium
civitatumque immune arripit consilium: Et eundem præfectum
cum aliquot suorum millibus trigesimo Februarii Brahillovam
in soli fertilissimi planitie ad Moldaviae limites prope Danu-
bium,

*Silistra.
Derstor.*

Turtukai.

Brallova.

bium, obliquè Silistræ civitati Turcicæ, remotiustamen oppositam, castigatum ablegat. Is præcipitata mora eam adoritur, diripit, arcem amplam & crassissimo vallo, palis longioribus utrimque terræ infixis, septo firmatam, tormentis concutit, perfringit, Turcis plus mille congregatis, jam desperantibus, ideoque portis apertis sese submittentibus haud parcit, universis casis, arcem dissipat, Christianos consolatur, multisque onustus spoliis discedit.

Craiova.

Deinde Craiova itidem ampla, populosa, largoque omnium rerum proventu abundans, sed muris & arce destituta civitas, Bahni, sive Primatis Palatinatus, ut superius retulimus, sedes à quinque Serviorum & VValachorum, suo quasi ausu digressorum millibus impetitur & diripitur: Ipse vero Bahn, Mattha nomine, Palatini subesse imperio affectat, & in gratiam receptus adhuc ibidem degit.

Inde Nicopolim maximam & omnis generis mercimoniis aliisque rebus affluentissimam Urbem, trium dierum itinere ultra Danubium ab Vroszuk, & quinque à Macedonia presenti metropoli Sophia, nunc Scopia, distantem, arce fortissima defensam, tenditur, quæ omni conatu, succenso pluribus in locis igni, oppugnatur, eiusque superata tandem flamma absumitur.

Bdin.

Postea trium millium eorundem VValachorum, Serviorum & Vngarorum, agmen sub Farcas Aga ductore ad Bdin civitatem vergens, & à duobus custodibus VValachicis proditoriè duo millia asprorum, quorum octo ibidem uni grosso triplici sive novem crucigeris æquivalent, accipientibus, & Turcarum aliquot saltem centenos, cum circiter triginta fuerint milia, asseverantibus deceptum, paucis cum dicto ductore elapsis ceditur. Plures istiusmodi direptiones & vastationes hostilium locorum, cum circa eas præter mactatos incolas & affecuta nonnulla spolia, pauca relatu digna evenerint, ne vel ficta (quod nostri instituti nunquam fuit) recensere, vel multitudine nauseam lectori movere videamur, prætereundas, & ad terribilem Sinan Basschæ delendorum in nostris finibus Christianorum causa susceptam expeditionem, finium Custodis Dei protectione collisam elusamque festinandum, lectori gratius fore arbitramur. Magnus ille inquam & jactabundus bellator Sinan Basscha, piscatoris, Sorentæ civitatis iuxta Neapolim filius, multis tandem de subigendis

gendis Gauris pollicitationibus insolenter eructatis, ad Romania Beglerbegatum aspirans, & Generalis hostilis militiae Dux declaratus, cum utriusque VValachiae tum temporis Palatinos Aaronem & Michaellem, Transylvaniae Ducis novo more, & periculoso exemplo, Tyranno usitatum, utque circa principium copiosior fiebat mentio, amplissimum tributum detrectare, & belli contra Ungaros Germanosque continuationem propter tam proficui, imò maximè necessarii Penuarii defectum, admodum fore difficilem, ut emergens inde maxima ignominia Turcicae insolentiae minime ferenda transeatur, perspiceret: Provido maturoque consilio commemoratos dominatus assueto violenter restituere jugo pernecessarium censebat.

Anno itaque 1594. proprii capitis, nisi id efficiat, hypothecata salute, eximiis aliquot comitantibus Basschis, cum centum octuaginta militum ac operariorum millium exercitu instructissimaque munitione bellica, ad Danubii ripam è regione Dziurdzovvæ oppidi, jam antè à Palatino cineribus mandati, et post instaurationem arcis, praesidiis Turcicis haecenus defensionis magisque tum firmatae, castra metatur: operosum pontem super flumen, quanquam eo loci mediam leucam alveum dilatans, propter dictam tamen arcem & in mediis undis sitam insulam commodissimum, navigiis, qualibus fere fulciuntur molendinae similibus astruere ferventi conatu indefessoque labore exorso aninitur. Palatinus uxore, liberis, aliisque rebus carioribus, in Transylvaniae civitatem Sabinovvam, ante hostis adventum dimissis, Bukereste cum octo militum millibus, duo milliaria ad Maguren villam digressus, sub tentoriis vivendum securius paratusque statuit: belli cum tanto hoste prudenter faustaque pro suis gerendi consilia meditatur: cum peritis militibus tractat: hostem deinde in pontis structura integri ferè mensis spacio remoratur: donec aliquot Turcarum millibus, bidui itinere descendendum flumenque trajicientium, aliis vero sub Dziurdzovvam navibus transvectis, nimium fatigatus cedere, suosque ad instantia graviora servare praelia cogitur. Sinan Basscha super constructum demum versus fluminis insulam, & inde sub arcis tutelam directum pontem, nec non ab utroque latere navigiis armatisque stipatum cum aliis praefatis Basschis, munitione bellica & militibus VValachiae ripam attingit, arripit, possidet, procedit, & in

*Prælium cum
Sinan Basscha
commissum.*

loco Kaluierim dicto, montibus, sylvis, flumineq; Nieznoviecz
septo, tres pontes transgressus subsistit, duobusq; à Palatini ca-
stris milliaribus papiliones in convenienti & tutiore loco erigit.
Tempus id aut fugam aut prælium exclusa mora flagitare heros
noster videns, fidenti pectore pro patriæ Reiq; publicæ Chri-
stianæ salute armis experiendum viriliter, quàm fugiendum tur-
piter suis persuadet. Sequenti XIII. Augusti ante diluculum, sub
sanctissimæ crucis tutela more solito, copias numero exiguas
educit: magnanimo impetu ipsa hostilia aggreditur castra, nec
obstanti naturali loci munitione, cum tanto impetu, ut unum
tentorium pene exscinderetur, irruit. Turcæ tum militum mul-
titudine, tum apparatu bellico, præter loci, ut diximus, oportu-
nitatem longè superiores, omnibus reluctantur viribus, dubioq;
belli evētu utrimq; multis horis, collatis signis conferitur donec
tandem nimis violenter urgendo, ad quartam milliaris partem
continua pugnæ velitatione Christianos retro pellunt hostes, &
undecim tormenta demunt. Hi itaq; cum copiosissimo genti-
lium numero haudquaquam conferendi, quòd sedecim millia
exercitus haud excederet, etsi coacti cedentes, semper tamen
versus camporū planitiem, ne excurrentibus circumdentur Tur-
cis denso sese vertentes cuneo: sylva montibusq; id ipsum ex alte-
ra parte prohibentibus, ut loci conflictum præliantium admit-
tentis amplitudo nondum unius milliaris quadrantem æquaret.
Iamq; Turcis crebro machinarum fulmine & strenuo armorum
usu violentius instantibus, pusillumq; Christi gregem gravius
subinde urgentibus: tempus illud necessariò heroicum motum,
factumq; egregium, quo hostium percellerentur, Christianorum
verò erigerentur animi, requirebat. Magnanimus itaque Iōn
Michael, salvifica Servatoris tutela invocata, arrepta copia sive
hasta militari, solus hostilem penetrans cuneum savientem aciei
antesignanum quendam transfodit: alium primarium militem
framea dissecat, viriliter pugnando illæsus recedit. Kiral Al-
bertus exercitus præfectus revocatis paulatim suis, duo in den-
sissimum agmen tormenta interim exonerans hiatum amplum
perfringit, quem Genizari suis resarcire sclopetis frustra co-
nantur: Quòd è vestigio ducenti Vngari, totidemq; Cosaci
cum Koscza præfecto pedestres furenti animo irruentes ordi-
nem disturbarent, & sternendo cædendoq; Turcarum copias, à
tergo

tergo ac latere Palatino viriliter cum reliquis instante ita confunderent, ut recuperatis undecim tormentis sub ipsum vespertinum crepusculum, illos præcipites quasi pecora in castra cogerent. In quo fugæ simili tumultu, Sinan Basscha ad castrorum frontem fluminis Nieznov, ponte decidens, binosq; elidentes, vitam pro lucro reputat. Assan Basscha in spinosis vepribus turpiter occultatus, vix altero die ad suos repit, Anato-liensis autem, Zainensis item, & Heudar Basschæ, aliiq; complures præfecti cum tribus millibus cæsi, vix aliquot centenis percutibus Christianis corruerant: ut nisi nox tenebrosa Palatinum impediisset, hostilem ferventi motu vim haud dubiè frangens, universum bellum simul ac semel confecisset. Ad pugnae itaq; locum quarta milliari retrocedens parte, ab hoste castra figit, pro nocturna salutatione tormenta in adversa tentoria explodit, & a copiosis undiq; dispositis diligenter excubiis, inter alios à Turca quodam sibi non ignoto, captivo adducto de hostium numero bellicoq; apparatu rectè informatur, qui itidem Christianorum qualicunq; audito numero, si Turcæ id hodie nossent, vel equis tuos milites contrivissent, refert, & servatus in Transylvaniam mittitur. Eiusmodi circumstantiis cognitis Palatinus, haud omnibus diebus eosdem felicium astrarum aspectus affulgere memor, horrendaq; multitudinis hostes abjuratos, coeptis haudquaquam absistere ratus, ne unà cum suis fraude vel stratagematis circumventus, aperta vi oppressus, priori felicitate, libertate, vitaq; simul privetur, retro movenda castra consultissimum statuit: media nocte tribus vicibus sanctissimo I E S V S nomine intensa omnium voce invocato, Turcisq; confestim more solito alla, alla, qua voce Deum compellant, reclamantibus, digressus die XIII. Augusti mane ad Ardsin fluvium duobus inde milliariis subsistens, & ad omnes aditus custodias disponens quiescit.

Sequenti Veneris die Virginis Matris assumptioni sacro, præterita Bukereste, uno inde milliari sub Jagarestevilla, metatus castra triduum commoratur. Interim Vngari, aliiq; milites in scio Palatino civitatem invadunt, spoliant, & sibi quàm hosti tantas prædas convenientiores censent.

Hic reficiendi lectoris animi gratia interserendum duximus, duos cicuratos cervos, aliquot cum Palatino itinera confecisse,

fecisse, & penes Domini tentorium plerumq; excubantes, præliis & conflictibus quoq; animosè vel antecedendo, vel ad latus ingrediendo interfuisse, nec bombardarum fragorem, nec tormentorum tonitrua exhorruisse, sed erectos duobus insistentes pedibus, ad illorum explosiones paululum respexisse, commemoratæ deniq; cum Sinan Basscha commissæ sub Kaluierimpugæ constanter præter animalis huius morè adfuisse: Vbi alterutro fortè fortuna interemto, alter mœroris impatientia in sylvas se abdidit. Et quis, obsecro, in tam humani tamq; felicitis Ducis castris militare detrectaverit? cuius fortissimæ dextræ fugaces etiam cervi assistentes, communem præliorum cum atheis fixi expectant fortunam, & ad faustum cum bestialis vitæ iactura adhelant eventum: pro ut ipsius Ducis Michaelis multorumq; fide dignissimorum militum testimoniis verè constat.

*Ialovvnicen
fluvius.*

*Dembovvice
fluvius.*

*Negravvoda
arcis.*

Decimo sexto Augusti hostem subsequi certior factus, post meridiem motis castris usq; ad noctis medium, quinque magna conficit milliaria, & in idoneo loco ad auroram usq; respirans, alia quinq; prolixa emensus XVII. Mensis ad amplam sed muro arceq; carentem civitatem Tervisum vel Targovvisten prope fluvium Ialovvnicen, ob æstum sæpe rivo similem, interdum in maximum torrentem periculosè exundantem, sub montibus, castris & excubiis diligenter dispositis, dies aliquot hæret: Inde ad montium radices unum milliare juxta Dembovvicen fluvium, ulterius tendens, ultra octiduum commoratur.

Targovvistæ itaq; ab incolis desertæ insidiarum atq; periculi metu tardius appropinquantibus demum hostibus, Michael Palatinus juxta eundem fluvium quatuor à civitate milliaria inter montes propter auxiliares copias securius degens, custodes aliosq; milites sæpissimè variis prædis captivisq; humanius (ex quibus hostium cognoscuntur conatus) redeuntes excipit: ac ne animum porro despondeant hortatur; Nihilominus tamen duo milliaria remotius, in montium quasi fauces, ubi munitæ olim arcis Negravvoda, Latine Nigra aqua dictæ, & à Turcis olim demolitæ apparent rudera, se recipit. Eo loco receptui aptissimo V Valachis plerisq; quorum plures erant Moldavvi, & eodem tempore Ieremia Mogila Palatino ab exercitus Regni Poloniae supremo Capitaneo Dn. Ioanne Zamojscio, investito, tam uxorum liberorumq; quàm possessionum verebantur iacturam,

ram, clam diffugientibus, vix quinque millibus vivit stipatus. Qui fortiori tamen durantes animo, sæpiusque suis excurrentes semitis, copiosas prædas, hostes plures, equos innumeros, & plusquam centum camelos sibi Ducique referunt, Qui veluti heroicus bellator ne nunc quidem vel instabilium militum fuga, vel plurimorum hostium copiis fractus, animum remittit: sed vicini Transylvaniae Ducis desiderans auxilia, hostem Targovistæ circa muratum Palatium, (arces enim ædificare Tyranni perpetuo interdicto cautum est) crassum admodum inter longos ex utroque latere terræ intrusos, arborum instar palos vallum, terra trabibus intertextis repletum, defensionis causa extruentem, unam portam, & alteram in postico januam ferro solido obductas inferentem, demumque postea fluvii aqua, tres intus fontes effodientem, & fixas ibidem sedes meditantem, opprimere tandem ad extremaque redactam patriam in libertatem vindicare an nititur. Neque misericordis Dei gratia, neque auxiliaribus destituitur copiis, conceptave spe frustratur. Singulis enim diebus, aliis accurrentibus militibus, ipsoque Transylvaniae Duce Sigismundo, cum Vngaris multisque Saculis intra montes versus Moldaviam habitantibus, sua lingua peculiari utentibus, Cosacorum more ferociter pugnantibus, ac ubi opus est equis remotis assultus pedestres facientibus. Nec non mille sexcentis Teutonicis equitibus comitantibus, accedente Generoso itidem Ioanne V Vihero, Ernesti filio, cum 80. Cosacis ex Polonia, atque mille sexcentis equitibus Silesiacis cum arcubus, ut vocantur, aliisque telis armatis, per Vngariam accelerantibus, instructo vix quindecim millium exercitu post S. Michaëlis festum Targovisten sex milliaria tenditur. Michael Palatinus cum Germanis, Vngaris, Cosacis aliisque peditibus in acie, patriæ, libertatis recuperandæ cupidissimus, præcedit: & III. Non. Octob. sub meridiem, cæteris cum Duce Sigismundo subsequenteribus, appropinquat. Verum ut generosus leo ad galli cantum tamen exhorrescit: Ita Sinan cum aliis Basschis & selectissimis suorum præfectis ignem & fulmina spirans, ad duorum saltem heroum, cum exiguis admodum copiis adventum, despondens animum, eodem quo nostri accedunt die, manè, cum universo exercitu, & munitione bellica, ad arcis subsidium sub Ali Basscha & Cadi sive Iudice de Avylona, tribus milibus, & quingentis armatis Tur-

*Targovista
recuperatio.*

D

cis ad-

cis, adhibitis quadraginta machinis bellicis, nec non aliis omnibus requisitis & rebus ad victum conducentibus, triennio sufficientibus relictis, tremebundus aufugit, ac civitatem pluribus subiecto igni locis succendit. Nemine itaque in campis præter quatuor Turcas, tardius cum prædis, rerum omnium ignaros revertentes, statimque jugulatos, reperto, & nihilominus callidi potentisque hostis machinationibus cautè attentis Christianis, quid factu sit opus? consultatur, instructo ordine alter dies, diligenter dispositis excubiis, expectatur: Cuius summo mane Palatinus arcem totis impetens viribus, à planitie versus Bukeresten, Stephanum Rezvvan Agam gente Singanum (ut vulgo Zigeuni denominantur) militem quidem fortissimum, at in Dominum quondam suum, Aaronem perfidum, postea victoria in Moldavia, præter spem amissa, palo publicè affixum, cum Saculis aliisque militibus & tormentis aliquot collocat. Ipse cum Sigismundo Duce à montium & fluminis Ialovvices latere, ad templum (quorum 40. partim solo æquata, pleraque restantia novisque subito resecta tectis ibidem reperiuntur) unius sagittæ ictu ab arce distans festinat: duos terræ cumulos turris instar extruit: tormentorum 40. attractorum nonnulla disponit: ab utraque parte inclusos hostes vehementer oppugnat: in aliud arci propinquius multò templum migrans, sine intermissione laborem urget. Et quanquam Turcis, ut in extremis fieri solet, totis viribus defendentibus, multis clam per januam elabentibus, necessariis tamen subsidiis extraneis destitutis, atque ab utraque parte, tum machinarum globis, tum Saculorum aliorumque militum assultibus fatigatis, tertio obsidionis die VIII. Iduum Octobris post meridiem expugnat arcem, præsidia cædit. Ibi tum ipse Ali Basscha captus in Transylvaniam deducitur: Cadi de Avvolona tuendo se occumbit: elapsi fuga universi pene locorum ignari sternuntur: quadraginta tormenta cum abundantibus pulvere, globis, plurimis sclopetis, bombardis, aliisque armis & plus quam triennio sufficientibus victualibus acquiruntur. Nec ulla intercedente mora sequenti die mane, præterita Bukereste, recta Dziurdzovvam (duorum inde dierum, more cursorum properantibus itinere) festinatur: Vbi Sinan subito suorum cladem, vindicisque resciscens fervorem cum præcipuis comitibus, militibus, thesauro & munitione in reservatis ad hunc usum ponte atque navigiis Danubium

*Dziurdzo-
vva.*

bium trajiciebat. Restantem itaque hostium copiosam in ripa multitudinem opprimens Palatinus præliando, urgendo, submergendo, tormentis sternendo, pene universam conficit. Quin pontem ad fluminis insulam directum, & inde ad VValachiam ripam, ut antea meminimus, extensum, quam poterat celerrimè machinarum globis disjicit disturbatq; : naves item grandiores duas globis trajiciens, totidem aliis graviter concussis vix elabentibus, in fundum præcipitat.

Sæviente hoc Christianorum durante impetu, hostium in extremis hærebat fortuna, & ut residuorum postea quidam fatebantur, octodecim millium intercludebatur fatum : ut in exundante uno saltem fluminis sub civitatem profundiori brachio, vel ostio, suffocatorum copia ad summum usque explens lacum transeuntibus pontis instar inserviret. Ex quo longè lateq; in ripa, insula, atque ponte pereuntium multitudo conjici aliquomodo poterit. Eodem præterea die, quatuor tormentario pulvere Turcico pleni advecti currus, a suspicantibus stratagema, trajecti globis inflammatisq; in aërem displodebantur.

Deleta tum superstite hostium manu, contra arcem ex una parte Danubio, ex altera Naslu fluvio, ab incursionibus defensam, dicto die castra diriguntur sequenti vehementer oppugnantur, machinarum globis, ut & tertio, Lunæ die, ex ea præsertim, qua pons fluvii connectit ripas, parte concutitur, & continuato intrepidè assultu, quem Turcis pontem acrius tuentibus, ideoq; duabus exoneratis machinis repulsis, ipse VViherus junior, relictis equis, cum suis animosè urgebat, arx omnibus destituta suppetiis, quod Turcarum ex alterius ripæ castris explosa tormenta, Deo protegente in sublimiorem aërem globos distortientia, nihil auxilii præstarent, expugnatur. Fugituri per pontem hostes partim seipsos in aquas distortent, partim Christianorum deturbantur telis, sternuntur item plures, & superstites aliquot centeni ad Charontis cymbam tandem etiam relegantur. Præter sclopetas autem & alia leviora arma, reliquis omnibus trans flumen avectis, ad ripam verò tria tormenta, tribus singula equis tracta, ac ob insperatam nostrorum accelerationem relicta reperiuntur. Gregarius tamen miles exactis laboribus, ex minus profundis fluminum locis, perticis aliisque id genus instrumentis, pretiosas vestes multas & similia extrahit.

Sequenti Mercurii die, belli Duces Bukeresten tam incolis quam hostibus vacuam digressi, duas tantum easque immanes machinas propter repentinam fugam ab hoste abjectas capiunt, triduumque relictis viribus, ulterius octo milliaria ad Giergiez civitatem itidem desertam per VValachia planiciem tendentes subsistunt.

Inde XI. Calend. Decemb. Transylvaniae Dux, multis ut haecenus, ita sub discessum usurpatis amicitiae indicibus Palatino valedicens, Deoque de tot casibus, reliquis autem eiectionis fugatisque hostibus cum eodem gratias agens, nec non necessaria ibidem praesidia relinquens, assumptis quinquaginta tum temporis acquisitis tormentis eximiis, quae ipse Palatinus, jam antea, pluribus vi hostilibus extorsis manibus contentus, ultro concedebat, in Erdel, hoc est, Transylvaniam, sic & Ioannes VViherus ad suos, regrediuntur. Inter alia autem gravissima VValachiae inflicta damna, plus quam viginti Christianorum, eo quo ibidem grassabantur hostes tempore, undique arreptorum millia in Turciam praemissa, luctuosissime deplorantur.

Palatinus, Duce Sigismundo digresso, Targovvisten decem milliaria distantem repetit, ubi hyemem ac magnam aestatis partem transigens, residuos miserè dispersos incolas ex montium cavernis in terrae planitiem revocat: destructas passim casas & everfa possessionum loca restituit, & semina ad agriculturam, quantum fieri potest, subministrat: Penuariis enim omnibus direptis, frugibusque & vino ab hostibus maximam terrae partem pervagantibus, arreptis conculcatisque, victui sementique necessaria omnia, ex montanis locis & vicina Transylvania allata, caro admodum vendebantur pretio: Ipsa quoque Moldavia suis exhausta bellis ne sibi quidem sufficiebat. Ad haec usitata in Turciam negociatio propter paratissima pericula prorsus omittebatur. Ne verò milites absque exercitiis ocio torpescerent, non ita multo post, aliquot eorum millia Danubium transire, hostiumque moliri oppressiones permittit. Qui armis assueti, alacriter Pelvin amplam civitatem invadunt, eamque casibus plurimis incolis in cineres redigunt, nec non praecipui & ditissimi cuiusdam Michaëlis Oglu vel Oglan uxorem cum filiolo & filia Palatino offerunt: Quae humaniter servata & plus quam quingentis aureorum millibus, redempta cum liberis marito restituebatur.

Sed jam

Pelvin.

Sed jam, deplorandane magis, an detestanda sit caeca perversitas hominum, genuinum suum Dominum, beneficum patriae patrem, defensorem fortem & felicem, quem contra apertissimam abjuratorum hostium vim Deus toties clementer defensum praestitit, domi absque ulla causa Turcis prodentium stoliditas, ambigitur? Eoque magis optimo patriaeque amantissimo Duci, quod non minus a perfidorum domesticorum, sua beneficentia secundum Deum, tum viventium, tum honorum titulis fruendum, clandestinis & formidabilioribus, divinitus etiam praeservatur infidiis, quam maxima irruentium hostium salutiferæ crucis defensus scuto, evadat pericula, a bonis omnibus merito applauditur. Benignissima enim tutantis Dei favente misericordia, proditoria Cancellarii Kieflar nominati, machinatione, & conflatis cum Turcis, in devotum pro patriae subditorumque salute, caput periculis, mirabiliter post S. Virginis assumptionis festum An. 1595. detectis, sine mora, praesidia prope Danubium ad excipiendum ex improvviso irruentem hostem pluribus militibus firmat, patris, patriaeque proditorem cum filio digna perfidia poena afficiens dissecare mandat, missoque ad dictae militiae praefectum nuncio, primarium quendam & seniore consiliarium Demetrium, eiusdem facinoris complicem, fabrum & promotorem, ibidem vita privari praecipit.

In latissimis ultra Danubium campis Dobrucensibus, a Ponto Euxino versus Vngariam, & a Danubio, Provvadium Bulgariae civitatem usque sese extendentibus, Poloniae legatis atque mercatoribus Constantinopolim euntibus transitum praebentibus, sex vel plura in frequentibus at vilibus villis, Turcis permistorum Tatarorum millia fixas obtinent sedes: & ad quodvis Sultani Turcici mandatum tenentur esse parati: plerumque tamen cum Chamo sive Praecopensis Hordae Principe militatum praedatumve potius exeunt. Hisce Tataris juncta Turcarum tria millia, quadriduo post dissecatum Demetrium trajiciunt Danubium: sed a Palatini exercitu, cui est vestigio aliquot peditum millia, trecentique equites, ut paulo ante meminimus, subsidio mittebantur, propitio Numine, felici praelio sternuntur, tormentaque omnia cum abundantibus spoliis eripiuntur, ut ficti, fusi que superstites vitam praedae loco vix servatam gauderent.

D 3

Iisdem

An. 1595.

Proditio
eversa.

Campi Dobrucenses.

Iisdem diebus quatuor milliaribus inferius à dicto pugnae loco, tria alia Turcarum millia, unanimi cum praedictis, de obtinendo per proditionem Palatino, intuitu, flumine trajecto, VValachiam invadunt quidem, sed à congregatis subito terrae incolis, per finium custodes accitis, itidem rectè excepti, iustèq; sunt tractati, ut quanquam non sine VValachorum damno pluribus mactatis caeteri periculosam fugam armis anteferendam statuerent.

*Nova fraus
damnosior.*

Cessantibus circa Danubium istiusmodi violentis incurSIONIBUS, aliis novis, primaq; specie minus fraudulentis perniciosiq; visis, sicut mare continuis exagitur procellis, impetitur Palatinus praesidiis. Turcarum Regis & Precopenfis Hordeae Principis nuncii cum literis ingentem gratiam, firmamq; pacem, juratoriis etiam adhibitis clausulis, offerentibus astute accedunt, fictisq; sermonibus Tatarorum Ducem in Bessarabia sive Cili comitatu, circa Kiliam & Bialogrodum civitates, inter Danubium ac Tyram sive Niestrum morantem, Sultani Osmanici clementiam, omniumq; offensarum condonationem conciliaturum, multis perhibent. Ipse quoq; Zahn, Kerai Tatar Han in Turcarum Chronicis appellatus, plus fidei scelestis consiliis conciliandae gratia, per Moldaviae Palatinum Ieremiam latentis fraudis inscium eadem diligentius tractat, duosq; illi primarios Tataros mittit obsides. Palatinus Michael nihil magis quam durabilem desiderans pacem, suos similiter ad Chamum sive Tauricae Chersonesi viciniaeq; illius praesidem mittit nuncios, de dubiis propositae pacis conditionibus legitimo certoq; modo acturos. Ille non modo priora repetere, sed & de conciliando Turcarum regem magnifica promissa pro innata genti levitate & versutia accumulare: graves, faciem suspectes, personas una cum praefatis Turcis pacem juratum literisq; confirmatum mittere: exercitum exhaustae VValachiae maxime nocuum, & constitutis jam pactis prorsus inutilem dimittendum, quasi afflictissimorum hominum emergente incremento multum delectaretur, persuadere: & gratitudinis ergo, aliquot millenos aureos pro tantis in se susceptis negotii gravissimi laborib. poscere. Quibus Palatinus, ac si res serio sincereq; agatur ab adversariis, persuasus, & ab utriusq; hostis nunciorum juramentis literisq; de stabili pace porro continuanda, satis assecuratum se ratus, certam pecuniae

cuniam summam Scytharum Principi, honorarii loco dandam constituit, militesque dimittit. Is proluxa hac dolosaque occupatus tractatione, & non tam pecuniam astuto aucupio acquirendae cupiditate adductus, quam militum in Podola, utraque Valachia viventium & Transylvaniam fines custodientium tacito percussus metu, idoneum in Vngariam transeundi tempus sponte praetermittit, arreptaque non soluta praefixo in pactis termino pecuniae occasione, sine praecedente rumore, cum universa Horda Valachiam, ipsum Palatinum Michaellem, militibus astuto stratagemate privatum capturus, sibique apud regem paraturus gratiam invadit. planitiem circa Busovvam, Brahillovvam, Bukerestem, aliasque civitates, partim a Turcis intactas, partim non profusus deletas obruit, celeritate oppressos incolas arripit, annuos proventus captat, igni pleraque loca mandat, ultra octiduum secure grassando adeo vastat, ut frequentes fertilissimae planitiei submontanique tractus, sicut in maiori Polonia & plerisque Germaniae provinciis villae, omnis generis frugum, vinique abundantia ditissimae, rarissimas interdum casas & destructa murata templa, pleraque ruinosae saltem loca, hortos, aedificiaque olim continentia, peregrinantibus non sine suspiriis, & ne idem aliis vicinis eveniat terris, concipientibus votis, objiciant. Neque tamen ob ista pacis foedera tam securum, tam credulum reconciliatis hostibus Palatinum quisquam, ut disponendarum custodiarum solitam curam censuerit negligendam, arguat. Ducenti enim Cosaci cum suis primatibus Kosza, Chirecki, Siemanovvski & Bilecki, &c. ad finium excubias servandas destinati, cum largis Domini salariis, & copiosis praedis hostibus ereptis, satis sese ditatos stauerent, hac sibi tam commoda tamque optata, Valachis autem luctuosissima arrepta occasione aufugere posse sperantes, emanent plerique, vix quadraginta proditoris titulum poenasque detestantes redeunt. Anne heroem nostrum tot praelia fortiter evincens, tot vitae insidias prudenter evitans, a binis scelestè simulatis amicis, Tataris atque Cosacis, simul & semel ita perfidè deceptum, milite astute privatum, armisque patriae destinatis miserè exutum, maioribus tum temporis inopinato minusque praeviso hoc suo suorumque periculo & Valachiae vastatione intricatum angustiis, quam maximis illis Sinan Basshae copiis fuisse territum? prudentum, ac humanorum casuum consciorum vi-

FORUM

rorum discursui iudicioque æstimandum committitur. Quid jam faciat? quorsum se vertat? quomodo præcellentem copiis, ver-
futia, celeritate reprimat hostem? quam miseris subditis super-
stitibus præstet defensionem? Nervi desunt, hostis urget, non
citò contrahitur ad tantos vastatores coercendos sufficiens mi-
les: Interim tota desolatur terra, ipse Dux aut capitur, aut subdi-
tis amicisque privatus acerbissimam sibi restare vitam angitur.

Verùm ut in extremis hærentibus suis misericors Deus
comprimis succurrit: ita heroicus animus, in maximis consti-
tutus angustiis, vires exerit ultimas: Præcipitata itaque mora col-
lectis sex hominum millibus, tum divini auxilii spe, tum melio-
ris causæ nixus solatio furentibus perjurorum Scytharum oc-
currit copiis. At quæ illorum erat astutia, etsi procedens omni
conatu capere palantes hostes, & adversum assequi institutum
fatageret: laterem tamen lavare videbatur: Quod ipsi vel con-
fertim, duorum, trium, plurimumve millium agmine vagarentur,
vel pauciores à castris maiorive cœtu non procul excurrerent,
ideoque tutum semper receptum haberent. Quod igitur erat ul-
timum, universæ Hordæ, hostilive agmini sub Giergicz civitate,
decem Terviso vel Targovviste milliaribus occurrere, & audacter
apertum committere prælium tentabat: Quod Cham detrectans
cum triginta plus minus hominum ex improvise circumvento-
rum & arreptorum millibus, ad desertos campos retrocedebat.
Eum lentè subsecuti suprascripti Cosaci, in Poloniam per Socza-
vvam Moldaviæ civitatem nunc Palatini Ieremiæ sedem, rectè
redire proponebant: sed barbara temeritate superbientes impe-
diti, iussuque dicti Palatini in finitimam Cameneciæ arcem satis
munitam Chodschinum deducti, & postea emissi quidè sed non
dimissi, in tertium annum hærent, malumque consilium consul-
toribus pessimum, sera convicti experientia suffragantur: Quin
Precopensium quoque Tatarorum Dux, nolens volens tacitè il-
lisipsis assentiri Cosacis, in pari casu compellitur: qui finium
circumcirca, ut supra meminimus, custoditorum dissimulato me-
tu, cum Palatino perfidam tractans pro postulato honorario pa-
cem, Regi Turcarum non Agriam tantum, sed & Viennam, auxi-
liantibus, Scythis, eodem anno debellare frustra præsumenti, sub-
sidio venire neglexit: eaque de causa gravissimam indignatio-
nem, quali Palatinum eximere se posse jactitaverat, incurrit: ut
publico

publico etiam decreto à germano fratre, Galga denominato (sub
Agria egregia contra Christianos exercente latrocinia) ejicien- *An. 1596.*
dus vel capiendus, missis nunciis Poloniae Regis, tanquam fu-
turus Vasallus, frustra imploraret, omni posthabito stipendio,
tutelam, & vix mediantibus decrepitæ matris supplicibus mul-
tisq; muneribus onustis lacrymis, & præcipuorum amicorum
intercessionibus, in gratiam, cum nova obligatione, diligentis-
simè, promptissimeq; ad omne mandatum contra quemvis ho-
stem pugnatum se exiturum, reciperetur, præfatumq; mandatum
annullaretur.

Sed ut ad Palatinum nostrum convertatur stylus, is supera-
to, auxiliante Deo, tam grandi tamq; perfido dolo, nullis post-
hac istiusmodi hostiû sive tractationibus, sive promissionibus,
sive literis, juramentisvè plenam adhibiturum se fidem conclu-
sit, & illatæ sibi suisq; injuriæ atq; damni vindicandi causâ mi-
litibus aliquoties ad Turcas ultra Danubiû excurrere concessit.

Anno 1596. post S. Michaëlis festum iterum cum XII.
millibus ita iecto Danubio Palatinus Nicopolim, unâ cum ma-
gna munita & celebri arce evertendam proponens, XII. Calend.
Novemb. aggreditur, trucidatis Turcis solo fermè æquat, pro- *Nicopolis.*
pugnaculum sub arce diruit, arcemq; ipsam jamjam oppugnatu-
rus à Sanziaco vel loci Præfecto splendidis muneribus, vestibus
nimirum sericis, auro intertextis, aliisque Zebellinis, decem item
generosissimis equis Turcicis, cum nitidis ephippiis omniq; ap-
paratu argenteo missis, ut tolerabilibus initis conditionibus pa-
cificè discedat, rogatur: nevè Regem capta jam Agria, viam ver-
sus Scopiam aut Sophiam, amplissimam, populosissimamq; Ma-
cedoniæ civitatem, quinque dierum itinere Nicopoli distantem,
ad Portam sive Aulam Constantinopolim continuantem, tanta
tamq; publica ignominia afficiat, ac si ipse appropinquans, adeò
memorable castrum non missis suppetiis servare neglexisset,
monetur: eximia præterea, voti compotem in hoc uno labora-
tuum Sanziacum, ut commendata hac Palatini discretione, me-
diantibus gravissimis intercessionibus, Sultanus ob enormia
plurimaq; perpetrata facinora iratus, non modò reconcilietur,
sed & Palatinatus ipsi, filiiq; superstitib; firmissimis pactis atq;
decretis in futura tempora destinetur, promissiones annectun-
tur. Palatinus, aut ut vulgo vocatur, Bahn Michaël, non tam

E honora-

honoraria, magnificaque respiciens promissa, quam munitæ Re-
gisque adventantis suppetiis sublevandæ arcis firmitatem, nec
non remotum transitus locum facili negotio intercludendum
tacite perpendens: quasi oblatis Præfecti acquieturus condi-
tionibus, stabilita transactione, retro castra movet. Superato
autem flumine die quodam manè, sex comitantib. amicis agmen
præcedit: sequuntur longo intervallo quinquaginta equites, &
ipse demum, ut fit, exercitus. Ibi tum arrepti duo fugaces Tur-
cæ, quingentos focios villas illius districtus passim affligentes,
multas comburentes, haud procul abesse coacti affirmant: ijs he-
ros sex stipatus amicis alacris occurrit, solus in eos irruens qua-
tuordecim manu sua potenter sternit, à suis deinde adjutus mul-
tos interimit, reliquos aufugere cogit, & Targovisten reversus
quiescit: donec variis ipsius causâ ventilatis in Porta consiliis
callideque subornatis & perniciosè machinatis intercessionibus à
Mehemete I I I. huius nominis, & XV. Domus Osmannicæ Pa-
dischacho sive Regum Rege, Mahumetis Pseudoprophetæ Sar-
racenici genuino successore, cum Tatarorum Hebræa stirpe o-
riundorum prosapia, ut alibi copiosius deducitur, progenies sit:
An. 1597. falsissimè credito, post Servatoris nostri Natalem Anno 1597.
vexillum redintegratæ gratiæ monumentum subjectionisque de-
nuò promissæ signum, per Zausium vel Portæ commissariū mit-
titur, ac legitimis ceremoniis traditur. Quid enim V Valachia
civitatibus & arcibus, sive palatiis potius, dirutis, quid oppidis,
villisque fere omnibus toties vastatis & deletis, quid pluribus ho-
minum abductis millibus, annuoque pœnu dudum consumto, aliud
ad reficiendos superstites incolas faciat? Qua ratione Turca-
rum, vix octo dierum itinere à V Valachia per Sophiam urbem
subinde in Vngariam turmatim proficiscentium continuas evi-
tet molitiones & irruptiones? haud reperit. Quanquam inte-
rim constanti animo omnia consilia ad juvandum sacrum bel-
lum clam quidem, at non sine Turcarum animadversione dili-
genter dirigat: Cumque Servii sive Slavones, VI. Idus Iulii mis-
sis clam nunciis citissimum Domini super Danubiū transitum,
nobis præsentibus, minus opportunè implorarent: & decem mil-
lia variarum nationum in illis angulis hærentiū, quasi proprio
ausu, non tamen absque huius noticia & consilio præterlapso
Vasschicza. Mense Iunio munitam arcem V Vasschiczam, & duorum inde die-
rum iti-

rum itinere, amplam civitatem Cladovv invadentia, violenterq; occupantia, nec defutura sese, nec sanguinē, vitamq; ipsam profundere pro Christiani Palatini salute, ut saltem tristissimo, durissimæ, barbarissimæq; servitutis excusso jugo, ad ereptam libertatem aliquando anhelent, pertingantq;, fideliter pollicerentur: temporis omnino habendam rationem respondet, donec commodiori oblata occasione periculosi isti conatus simul ac semel in actum & optatum eventum deduci cum fructu possent. In quem finē numerosum etiam colligens militem, Mense Julio cuilibet lustratorum plus quam quindecim milliū, quinque taleros solvebat, & alia sex Silesiorum millia ex Transylvania expectabat. Ut enim huius Ducis Sigismundi, ita Inviētissimi Imperatoris Rudolphi II. subsidia & auxilia non defunt: Sicut præter aliam Junio Mense transmissam memorabilem summam, Idibus Iulii, Nobilis, strenuus, vitæq; militaris peritissimus Vir, Dn. Henricus Lessota Siles. ad solvenda quatuor millibus delectorum in præsentia equitum, singulis Mensibus, quam diu foret necessum, stipendia, Targovisten mittebatur.

Sed & Sultan Mehemet perfidiæ propriæ optimè sibi conficius, subito talia per exploratores aut latentes proditores, quod nulli Turcarū terram hanc tutò accedere liceat, advertens, blanditiis, donis & amplis promissionibus, eum potius in officio retinendum, quam interrupto Vngarico bello, cum sine eius præsentia stipendiarii milites pugnatum exire recusent, & elapsis annis eximii militiæ præfecti parū effecissent, armis cogendum consultius fore astutè statuit. Ideoq; Hali Masar Zaus, ut in Vngariam tum transeuntem comitetur Generalem militiæ præfectum Saterdzi Mehemet Basscham, eiusdem nomine petit, Tatarisq; alia via, intacta VValachia istuc festinare seridò à Sultano injunctum significat: Quod ipse quoque Cham sive Scytharum Princeps familiarissimè scriptis literis paulò post ratum facere nitebatur.

XIII. Calend. Augusti alius Zaus & quidem vir egregius, literas à Sultano, multò quam ullæ priores, clementioris argumenti, cum strictissimo gravissimoq; juramento Palatinatum Bahno Michaëli filioq; Petro decimum tertium ætatis annum tum agenti, ad vitæ tempora sine ullis impedimentis pro solitæ pensionis annuæ licet hæctenus nunquam solutæ medietate con-

Cladovv.

*Stipendiorum
solutio Ca-
sarea.*

*Palatinus
militatum
contra Chri-
stianos fru-
stra insti-
tur.*

*Palatinus
Dn. Michaëli
& filio Petro
confirmatur.*

ferentes & confirmantes exhibet, equum item cum splendidissimo apparatu, frameam & bullavvam, sive potestatis & militaris gubernationis signum, solenni more offert. Postea per Moldaviam ad Kerai Tatar Han vel Precopensium Tatarorum Principem Herczy nomine transit, eiq; ut capitales, in defectu omnis alterius transactionis, lites cum fratre Fedeth successore regni, ab ijs Galga ad Gallorum Delphini similitudinem nuncupato, cuius duos filios trucidari curaverat, motæ, aperto Marte dirimantur, & victori cum tyrannico mandato, citissimè in Vngariam intacta utraq; VValachia festinandi, frameam bullavamq; Principatus insignia tradantur, gravissimè denunciat, quas personas & literas, in notum idioma etiam translatas, præfentes videre nos meminimus. Ad quorum Commissariorum sollicitationes omnem collecti militis & hæctenus retenti porroq; modis omnibus retinendi causam in Scythas, quibus luctuosissimo incolarum & subditorum abductorum damno, tutò posthac propter mutua insuper emergentia eorundem dissidia, credere nec possit nec debeat, transfert, & excusari propterea excusatumq; haberi se petit.

Qua ratione, magnanimus Palatinus ad patriæ gubernationem, Deo favente, sit euectus, quamq; periculosis bellis eandem tum ab habitantibus, tum advolantibus turmatim sæpius, imò pluribus irruentibus copiis Turcicis Tataricisq; divina affulgenti protectione, & concurrentibus Christianorum suppetiis, in pristinam vindicare libertatem, proprium tot improbissimorum & abjuratorum hostium telis, objiciens caput, & cœperit feliciter, & toties proditoriè ac astutissimè structis insidiis elusis, continuare fideliter pergat, succincto minusq; elimato, at simplici fulto veritate comprehensa stylo, ut verissima sunt, ita pro eo qui in optimo quoq; desideratur & maximè prædicatur candore, boni consuli, votum pro fausto sacri belli successu adjungit, Ión Michaëli Christiano Palatino faveri, & ulteriorem, ubi Deo juvante paulò post in illis limitibus cætera cum suis accipere circumstantiis licuerit, expectari contextum rogamus.



EPIGRAMMA

In ejusdem Palatini effigiem Tervisi ab
Autore scriptum & dedicatum.

Haec Ducis est facies: at quæ viget ardua virtus
Pectore, quo fortis robore dextra valet,
Haud satis ingeniosa manus depinget Apellis:
Carminè vix justo doctus Apollo canet.
Iste caput Geticis opponit viribus: iste
Christigenæ murus gentis & ultor adest.
Exiguus numero: sed dextra & pectore magnus,
Innumeros hostes morte fugaq; domat.
Christe tuum propter Nomen defende, rogamus
A vi, fraude, armis, proditione, Ducem.
A te sola salus: At liber ut omnia præstas:
Sæpe tibi **D O M I N O** caussa secunda placet.

E 3 E L E

ELEGIA
IN GENEROSÆ INDO-
LIS DN. DN. PETRI PALATINI-
DIS MOLDAVVIÆ TRANSALPINÆ Nata-
lem ipso Divorum Petri ac Pauli festo Tar-
govistæ Anno M. D. XC VII. scripta
& exhibita,

A Nnuus assvetum quando Natalis honorem
Posceret, & promptas ad pia festa manus:
Flore caput viridi veteres ornare solebant,
Et dare thuricremis annua liba focis.
Suavisonis tenues mulcebant cantibus auras,
Fundebantq; suas ore favente preces:
Coepa juvarentur felicibus omnia fatis:
Et superum firma protegerentur ope.
Vana celebrabant devotæ Numina gentes,
Dum fuit à vero mens aliena D E O.
Quò magis, ut solitum renoves, gaudebis, honorem
Annua festa, dies dum genialis agit.
Quâ prodire tibi sub cœli contigit auram,
Inq; salutiferis sumere nomen aquis.
Quâ sacer expansis famulus te fovit in ulnis,
Fatidico miscens vota precesq; sono.
Salve parve puer, felicibus edite stellis:
Egregia pollens indole cresce puer.
Nomine Petrus eris, constanti pectore Petrus:
Robore petra animi, robore petra manus,
At velut ad petram valido fundamine nixam
Sæva procellosi volvitur unda maris:

Sic

Sic animum, quanquam divino Numine fultum
Fata fatigabunt inferiora, scias.
Ferreæ, dante Deo, rumpuntur vincula Petro:
Aspera tu vinces fata, juvante Deo.
Ergo dies dum grata redit, quam læta Diones
Stellula purpureis reddidit orta comis:
Non bove mactato Christum, non thure merove,
Sed pietate colas, sed sine labe fide.
Bos mortale notat corpus: thus ardua cordis
Vota: sed in ipsa, gaudia, mente merum.
Ara tibi tenero sub pectore sacra paretur:
Qua tua solennis munera flamma cremet.
Ac ubi thura feres pingues facientia flammæ:
Inq; pio fustum fulserit igne merum:
Poplite perge Deum curvato, animoq; fideli
Ad pia sublata dona rogare manu.
Tutelæq; tuæ vitæ fortisq; parentum
Larga recordatus munera, gratus ades.
Ac inopes releva potuq; ciboq;: Redemptor
Facta SIBI, viva, talia voce refert.
Fauftior utq; dies Natalis sæpe recurat:
Funde verecundo pectore & ore preces.
Ut patria augescas felix virtute, gerendis
Rebus, ut & hæres Martia signa regas.
Hoc generose tibi VValtheri Musa precatur
Petre, det omnipotens, qui regit astra **DIVS.**

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a Latin or German manuscript.








Ung II 45

2

39.

Handwritten text on the right edge of the page, partially obscured by a tear. The text is written vertically and appears to be a list or index of entries, possibly including names or titles. Some legible fragments include "A II" and "A III".





B.I.G.

Farbkarte #13



ET VERA
 IPTIO
 M A B
 AMPLISS.
 MILITIAE CON-
 Pub. Christianæ hostes
 on Michaele, Mol-
 na sive VValachia
 restarum,
 vifana fideliter collecta
 & studio
 altheri Iun. S.



99.

bis Johannis Rhamba.

